

**CONSELLO DA CULTURA GALEGA
GALLAECIAE MONUMENTA HISTORICA**

184

1230/09/20. Santiago de Compostela.

Pacto feito entre o cabaleiro don Afonso López e o mosteiro de Toxos Outes polo cal este lle concede en prestimonio a don Afonso dúas servicialías na vila de Bornalle durante a súa vida. O cabaleiro comprométese a devovelas ó mosteiro ó morrer e o cenobio recibe tamén en doazón outras dúas servicialías na vila de Tal.

B.- Tombo, f. 67r.

Placitum domni Alfonsi Lupi, militis, de hereditate de Tali.

Sub era Ia CC^a LX^a VIII^a et quotum XII kalendas octobris. Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris quod ego Affonsus Lupiz, miles, vobis domno Johanni Tudini, monasterii Sancti Justi abbatii, et uniuerso conuentui eiusdem loci facio pactum et placitum in mille solidos firmiter roboratum; ita quod ego teneam de uobis in prestimonio tantum in uita m<e>a illam uestram hereditatem quam habetis in villa de Bornallio, videlicet duas seruicialias bene populatas, et ad mortem meam libere et quiete et bene populate remaneant monasterio uestro cum duabus aliis seruicialiis de mea hereditate quam promitto uobis dare in ipsa villa de Tali si ibi potuero habere, facta diuisio cum fratribus meis; et in presenti mitant in mea potestate ipsam hereditatem cellararius Johannes Gunsalui. Ita quod ad mortem meam absque ullo impedimento remaneat monasterio ista hereditas cum alia mea de super nominata est; et propter hoc beneficium quod mihi facitis promitto me esse amicum et fidelem familiarem monasterii adiutore et defensorem in omnibus rebus que ad monasterium pertinent uel pertinere debent.

Facto placito apud Sanctum Jacobum.

Et ego Afonsus Lupiz, miles, in hoc placito manus meas roboro. Regnante domno Affonso Fernandi in Legione, Asturiis et Gallegia. Regente domum compostellanam domno Bernardo Stephani.

Q. p. f.: Magister Johannes, decanus Sancti Jacobi. Bernardus Petri, iudex. Afonsus Iohannis de Saz, Johannes Petri, canonichus. Martinus Petri de Nozeda, canonicus.

Michael Ruderici, notarius concilii, qui scripsit per mandatum abatís Sancti Justi et domni decani.

Siquis igitur ex parte mea uel extranea hoc meum placitum infringere temptauerit sit maledictus et pro parte regis pariat penam placiti superius nominatam; placito semper in suo robore permanente.